



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Asiaticae Historiae Societatis Iesv Pars ...

Libris Quatuor Comprehensa: Vbi praeter res gestas à Patribus Societatis Iesv in conversione Sinarum, Cocincinae, & Tunchini Regnorum nihil omittitur eorum, quae possunt liberali placere Lectorum curiositati

Bartoli, Daniello

Lvgdvni, 1670

45. Tentata humanitùs facultas Sinis praedicandi, in contrariu[m] euanescit.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10757

45.
Tentata hu-
manitatis fa-
cultas Sinis
prædicandi,
in contrariū
evanescit.

46.
Natalis ve-
rus Sinensis
missionis.

46.
Domum
aperit Ric-
cius, cum in-
credib. gra-
tular & con-
cursu dd.

quas nisi per aulam nullus erat sat liber, & constans accessus. Ego, scribit ad quendam in hoc regno vnum id ago, præterea nihil, vt dumeris aditus liberem, & quod passum proferre externi non poterant, post me campos ad culturam inueniant dociles, alicubi etiam subactos, & Sementi paratos. Cuius sui voti propiorem hoc anno concepit fiduciam quo Iaponiæ Rex Taicosama victtricibus copiis populabatur Coraium Sinis vectigale, ducebat copias Tzunocamidonus Augustinus, ille religioni sacrosanctæ & Societati addictissimus; ad hunc Sinarum Rex intercessores de pace legatos miserat, auctor eidem fuerat P. Organtinus, vt pacis conditionibus illam insereret, qua facultas daretur veri Dei legem toto Sinarum imperio prædicandi. Ad conditiones cæteras parum æquas, metu Taicosamæ imminentis victoris, & armati adigebatur Sinenſis, natura vsûque imbellis; hanc de Christi lege Sinis inferenda tam certo putabat expressurum ab eo Augustinus, vt de hac tanquam confecta re, darentur hilares ad Riccium literæ: At belli vitæ, pacis honesto anteponeus Taicosama, retruditur primum ad confinia Iaponum littora; sed illic ad nouam expeditionem instaurans exercitum, tanto Sinas horrore externorum metuque siderauit, vt profectioe Pechinenſi omiſſa Riccius in lucro posuerit tacere, & figere Nanciani pedem. Parta dudum Primorum beneuolentia, breui obtinuit vt discipuli nomine accerferet socium P. Ioannem Soerium, duobus cum fratribus natione Sinis. Aliquanto post ibidem magna vrbs & Prouinciæ Præsidium voluntate, Cifui & Tutani, domicilium emit in media vrbs frequentia, Gubernatoris palatio proximum; die Petro, & Paulo Apostolis sacro: adite volentibus illud aperuit anno 1596. inscripto fronti programmate *Domus vbi habentur conciones*, Nec ferebant illa initia templi aut nomen, aut fabricam, ne Osciæ & Bonziji haberemur, homines sceleratissimi, & detestata inter Sinas famæ, quæ præiudicata de nobis opinio, magnam partem laborum, & annorum, inanem hæctenus & cassam, Riccio teste nobis effecerat; qui & natales Sinenſis Missionis censendos hinc statuit, & Cathecismi sui exemplaribus, & typis igni traditis, noua editione in lucem eum dedit in qua nihil esset quod Bonzium oleret, vel à Literati professione dissentiret. Et his velim tardari præcipitata de longinquis, & immeditatis iudicia, proiecte damnantium quæ finis, agendorum amissis, & longa sumptuosaque experientia, non modo permiserit, verum etiam imperarit. Ne porro hæc domus apertio interpellaretur à vicinis externorum viciniam exorsis, perfectam prius conspici exhibuit Riccius quàm cceptam, sed eam Literati & Mandarinum, communi gratulatione, lætitiis intimis & salutationum solemniū vrbaniatibus omnibus celebrarunt, plurimum gauisi se tanti hospitis possessionem nactus non dubiam; cui se quoque nonnulli cum discipulos darent, prolixè illis docendi officium detulit, sed modestè reiecto munerum, & adorationis stipendio; quæ abstinentia & moderatio illic singularis, quam vitabat reuerentiam eius